



ADamus honestis parentibus natus, & piè educatus est. Is cum prima rudimenta in patria foeliciter percepisset, sese ad uarias Germaniæ Academies contulit, atque præclaram sibi artium & linguarum notitiam comparauit. In primis uerò Poëticiæ incubuit, & in ea facultate adeò profecit, ut doctissimis Poëtis meritò cōnumeretur. Itaque in Misniam uocatus, scholæ præficitur, eique iuuentus literis & moribus instituenda traditur. Eam functionem Adamus magna laude administrauit, atq; ob raram eruditionem & uitæ innocentiam omnibus bonis innotuit. Vt autē is adolescentiam rectius ad pietatem perduceret, sacra Poëmata conscripsit, atq; historias Biblicas carmine proposuit, & Basileæ 1565 edidit. pari ratione Psalterium uersibus expressit, atq; uaria Epigrāmata & Epicedia conscripsit. quibus lucubrationibus effecit, ut cunctis doctis gratissimus esset, atq; ingenij sui felicitatem posteritati declararet. Ea ratione Siberus etiamnum pergit, & scribendo ac docendo celebris in Misnia existit. Anon.